

esse. Tota enim Scriptura sacra θεόπνευστος est. 2. Tim. 3. v. 16. Nec
 ejus sensus seu significatio propria investigari satis, aut haberi potest, nisi
 ex verbis. Quae si divina non sint, nec ex divino dictamine concepta,
 tum nec fidei principium divinum prorsus erit, adeoque nec fides ipsa divi-
 na erit. Confiteamur oportet, Deum revelasse verba, & inspirasse suis
 Amanuensibus, quibus innitatur fides nostra, sicuti Exod. 4. v. 12. ait
 Mosi, Ego ero cum ore tuo, & docebo te, quid loquaris. Sic Exod. 20. v. 1. lo-
 quitur ad Moysen, omnia verba dicendo &c. quae postmodum Moyses
 enarrat populo: Ex. 24. v. 3. Deus dedit Mosi tabulas scriptas digito suo.
 Deut. 31. v. 28. ei serio injungit, ut nihil addat, dematque, & ad exemplar
 prescriptum omnia peragat. Idem Judicium est de Prophetis & Aposto-
 lis, in quibus Jehova & Spiritus Dei locutus est. Sed alius ea de re com-
 modior disputandi locus erit.

THESIS III.

Scriptura sacra verè est verbum Dei, idque propriè sic dictum,
 quod filius Dei è sinu Patris revelavit. Job. 1. v. 18. & Deus elo-
 quutus est per os Prophetarum. Luc. 1. v. 70. In Vet. Test. locutus est
 Deus cum Mose à facie ad faciem. Num. 12. v. 7. 8. Ipsi dictavit divina
 verba, divinas leges. In Prophetis quoque locutus est. Zach. 1. v. 9. dicitur no-
 tanter, angelus loquebatur in me, וְהוֹרֵךְ בִּי Conf. Num. 12. v. 28,
 Hef. 1. v. 2. sic Spiritus Dei loquutus est in Davide 2. Sam. 23. 2. Tota adeo
 Scriptura S. verè est sermo Dei. 1. Theß. 2. v. 12. Accepistis sermonem,
 quem audistis ex nobis, non ut sermonem hominum, sed (sicut verè est)
 λόγον θεῶν, sermonem Dei: Sunt λόγια τῶν θεῶν. Rom. 3. v. 2. Judais
 concredita erant eloquia Dei. 1. Petr. 4. v. 11. si quis loquitur, loquatur
 ὡς λόγια θεῶν, ut eloquia Dei. Hebr. 4. v. 12. vivus est sermo Dei, &
 efficax.

THESIS IV.

Quod quidem Verbum Dei à Prophetis & Apostolis non ex
 occasione tantum aliqua accidentali scriptum est, sed ex Dei
 mandato, ejusque seria voluntate, cum omnis scriptura sit θεό-
 πνευστος, divinitus inspirata. 2. Tim. 3. v. 16. ex interno Dei dicta-
 mine concepta, & ex impulsu divinos à sanctis promulgata.
 Act. 15. v. 23. 28. Job. 14. v. 26. Job. 16. v. 13. Act. 1. v. 8. Ut vero
 Prophete V. T. ex Dei voluntate scripserunt, eò quod à Spiritu Sancto
 acti locuti sint sancti Dei homines. 2. Pet. 1. v. 21. Ita & Apostoli. Rectè
 mones: